Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36544
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

eius quem dixit. Id autem dictis mihi domine domine et non facitis que dico.
Est ergo proprium muneris a deo concessi hebreis ut moysi credant. gen-
tibus autem ut ihesum diligant. Hoc enim indicabat et magister
noster ait. Confiteor tibi domine pater celi et terre quia occultasti hec
a sapientibus et prudentibus et revelasti ea parvulis. Propter quod utique
declaratur quia hebreorum populus qui ex lege eruditus est ignoravit
dominum. gentium autem populus agnovit ihesum et veneratur. propter quod et sal-
vabitur non solum agnoscens eum sed et voluntatem eius faciens. Debet
autem is qui ex gentibus est et ex deo habet ut diligat ihesum proprii habe-
re propositi ut credat et moysi. Et rursus hebreus qui ex deo habet ut
credat moysi habere debet ex proposito suo ut credat in ihesum.
ut unusquisque eorum habens in se aliquid divini muneris ali-
quid proprie industrie sit ex utraque parte perfectus. De tali enim
dicebat dominus noster viro diviti qui profert de thesauris suis nova et
vetera. Sed de his satis dictum est. Urguet enim tempus et populi religi-
osa devotio invitat nos ad ipsos facere sermonem. Et cum hec
dixisset. requirebat ubi oportunus esset locus ad disputandum. Et maro
ait. Est mihi edes amplissima que plusquam quingentos recipit
viros. est et hortus intra domum. aut si in publico aliquo placet
loco. hoc magis omnes desiderant. Nemo est enim qui non cupiat vel
faciem tuam videre tantum. Et petrus. Ostendite mihi inquit edem et
hortum. Et cum vidisset. ingrediebatur ut et hortum videret. et
subito omnis multitudo quasi ab aliquo evocata cum festinati-
one ingressa est domum. atque inde ad hortum prorupit. ubi iam stabat
petrus considerans quis esset aptus ad disputandum locus. Ut autem vidit
turbas velut ingentis fluvii inundasse lenem meatum. ascendens
supra basim quandam que forte iuxta horti parietem stabat.
primo religionis more populum salutavit. Quidam autem ex his qui
aderant et multo tempore a demonibus fuerant fatigati in-